

SALUTATION DU DÉLÉGUÉ K. KUMANIECKI

CLARISSIME PRAESES, COLLEGAE ATQUE AMICI,
FEMINAE, VIRI

Ab iis, qui huic congressui praesunt, hic magnus atque praecipuus honor mihi tributus est, non ab laetitia quadam interna animi seiunctus aut remotus, ut nomine hospitem exterarum gentium hunc amplissimum virorum doctorum, qui antiquitati classicae student, conventum ab imo pectore salutarem atque optimis prosequeretur votis. Quod cum facio, primum quidem gratiae quam fervidissimae, quam sincerissimae agenda sunt mihi nostris amicis Iugoslavis, imprimis autem professori Veljko Gortan, huiusce congressus praesidi humanissimo, Academiae Iugoslavicae vicepraesidi, cuius opera atque indefesso labore effectum est, ut hic amplissimus conventus in hac amoenissima Iugoslavorum terra congregaretur.

Nos quidem hospites exterarum gentium multa sunt quae penitus commoveant idque multis de causis. Et quamquam enim iam duodecim conventus, qui sub honestissimo Eirenes nomine concelebrantur, habiti sunt, tamen hic tertius decimus congressus imprimis nobis carus est ideo, quod primus est, qui in Iugoslavia habetur. Grati sumus igitur nostris collegis Iugoslavis et pro benigna invitatione et pro egregio hospitio et pro occasione nobis oblata huiusce terrae pulcherrimae visendae, terrae e qua strenuo archaeologorum labore semper nova monimenta antiquitatis ac vestigia in lucem eruuntur atque emergunt, terrae cuius pulchritudo omnium nostrum animos mirum quantum devincit atque oblectat.

Id autem, quod nostri amici Iugoslavi e plurimis atque pulcherrimis Iugoslaviae regionibus ad hunc conventum concelebrandum hunc angulum Ragusinum amoenissimum elegerunt, id, ut ita dicam, divino quodam spiritu instincti mihi videntur fecisse. Quinam enim locus pulchrior, quinam locus splendidior, quinam locus amoenior eligi potuit quam hic recessus Dubrovnicensis, haec urbs pacis amantissima, cultus humanitatisque faultrix et, ut ait poeta Ferić, poeta Croato-Latinus:

... urbs pacifica Adriae inquieti,

Musarum egregia atque artium cultrix, urbs, cuius aspectus iam ipse nos beatiores, ut ita dicam, reddidit.

Grati sumus etiam pro eo, quod a collegis Iugoslavis programma huiusce congressus ita est institutum, ut omnibus disciplinis, e quibus studia antiquitatis constant, iustus locus daretur. Equidem ipse, at certe non solus, magnopere gaudeo, quod in programme vestro non spretae sunt neque neglectae etiam litterae neolatinae, quae in hac terra iam aetate renatarum litterarum mirum quantum effloruerunt et neque posterioribus saeculis destiterunt coli. Viguerunt hic multi scriptores usque ad saeculum undevicesimum, vigent etiam nunc; optimo documento sunt elegantes versus Latino sermone a Silvestro Kopriva ad honorem urbis Dubrovník compositi, quos modo audivimus. Fuit longa series horum auctorum, quorum amplam notitiam aperuerunt nobis egregii eorum editores professores Gortan et Vratović.

Ut summam faciam, breviter dicam: Beati sumus, credite nobis, cari amici Iugoslavi, beati sumus, inquam, quod hic adsumus et maximas gratias vobis agimus pro hoc conventu huc convocato. Gratias vobis ago, quod me attente audivistis.

K. Kumaniecki, Varsovia.